



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. XXVIII. De B. Zachaeo Abbate Sanctae sion.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

C A P. X X V I I I.

De B. Zachæo Abbate Sanctæ Sion.

IN vitis Sanctorum Patrum lib. 10. c. 131. ita de hoc sancto Abbate legitur. Narravit nobis Procopius Scholasticus Porphyreonites de Abbate Zachæo, dicens: Duo filij mei in Cæsarea degebant. Facta est autem in Cæsarea magna mortalitas; ego affigebam propter filios meos ne morerentur, & ignorabam quid agerem. Dicebam enim in me ipso: Si mittam & accipiam eos inde, iram Dei effugere possibile non est: sed si dimittam eos illic, morientur & non videbo illos. Nesciens itaque quid agere deberem, dixi: Vadam ad Abbatem Zachæum, & quod dixerit mihi hoc faciam. Purrexi igitur in Sanctâ Sion (illic enim semper morabatur) & non inveni eum. Veni autem in atrium Sanctæ Mariæ Dei genetricis & inveni illum stantem in angulo atrij, dixique illi de filiis meis. Cùm ergo me audisset, ad Orientem conuersus est & intendit in coelum quasi per horas duas nihil omninò loquens. Tunc verò conuersus ad me, dixit mihi: Confide ac noli affligi, filij tui non morientur in hac peste, sed & post duos dies cessabit de Cæsarea mortalitas. Quod & factum est iuxta verbum senis: & ista quidem Procopius Scholasticus, vt dixi, enarrauit nobis. hæc ibi: *Certè multum valet deprecatio iusti assidua: idè hortatur nos* Propheta Iob: *Voca ergo si est qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere.* Et ipse Dominus: *Ite ad seruum meum Iob, orabit pro nobis.* Capite verò sequenti ibidem ita subditur: Abbas autem Cyprianus cognomento

Cu-

Iacob, 3.

Iob 5.
& 42.

Cuculas, cuius Monasterium est extra portam Cæsareæ, narrauit nobis cùm ad illum venissemus, dicens: Cùm vastaret urbem istam sæua illa & horrenda mortalitas, inclusi me ipsum in cella mea, deprecans clementiam Domini vt nostri misereretur & auerteret imminentem irā; venitque mihi vox dicens: Abbas Zachæus accepit hanc gratiam. Plura de hoc Zachæo non inuenio: in Martyrologio Romano duos reperio Zachæos, alterum Episcopū Hierosolymorum 23. Augusti, alterum martyrem sub Diocletiano Imper. 17. Nouemb. sed neuter cum nostro coincidit. Prædicta autem de Zachæo Abbate narrat Ioannes Moschus; qui in Theodosij primū Monasterio sæculum valere iubens, cum ijs deinde Monachis cōiuxit, qui in deserto ad Iordanem excercebantur, qui que nouā in Laurā (sic Monasteria illorum Monachorum vocabantur) Sancti Sabæ certabant. Unde rursus ad Antiochiæ regiones & Alexandri urbem proximamque eremum ad Oasim vsque delatus, multorum magnorumque virorum res præclare gestas aggregauit, quas partim oculis ipse spectauit, partim recenti tunc auditione didicit; eas denique ad Sophronium Hierosolymorum Episcopū scripsit, qui Sophista fuit dictus, quod nomen tunc temporis nihil aliud significabat quàm sapientem & prudentem hominem, qualis fuit & Libanius ille ad quem multæ magni Basilij epistolæ directæ fuerunt ipsum maximis præconijs efferentes. Plura vide apud Herib. Rosweydam in vitis Patrum ab illo nuper editis & notis illustratis.

Patet ex hoc iam allegato exemplo quantum boni in Ecclesia præstent etiam Religiosi viri in solitudine degentes, licet neque Sacramenta populo administrant, neque conciones ad eum habeāt aliāve ministeria actiue vitæ illi exhibeant; vnica enim oratione cui iugiter intenti sunt maxima sapè emolumenta præstant, vt jam

de Cæsarea à peste precibus huius viri sancti liberata, au-
 diuimus. Neque enim solitaria Religiosorum vita ad
 propriam solummodo salutem est instituta, sed & ad alio-
 rum procurandam, nunc orando, nunc psallendo, nunc
 scribendo, pro diuerso cuiusque talento. Atque ea est
 perfecta contemplatio, quæ in huiusmodi actiones di-
 manat. Sed sciendum parum iuuare solitudinem cor-
 poris nisi adsit solitudo mentis. Solitudinem verò men-
 tis his explicat S. Bernard. ferm. 40. in Cantica: Solus es
 si non communia cogites, si non affectes præsentia, si de-
 spicias quod multi suspiciunt, si fastidias quod omnes de-
 siderant, si iurgia deuites, si damna non sentias, si non
 recorderis iniuriarum: alioquin nec si solus corpore es,
 solus es. Hæc est solitudo quam Corn. Musius illustris
 nostro æuo Delphis in Hollandia Christi martyr docto
 carmine Laureatus Poëta ita celebrat:

O beata solitudo,

O sola beatitudo,

Piis sescicolis!

Quam beati candidati

Qui ad te volant alati,

Porro à mundicolis!

Viue ut vis, sed cum agrotabis

Iustis lacrymis damnabis

Omnes mundi insulas.

Et cum morti propinquabis

Tunc, sed serò, prouocabis

Ad beatas cellulas.

Idèò beatus Petrus Damiani Eremitum consuluit an-
 sibi expediret, Ecclesiæ & proximis seruire in Cardina-
 latum & Episcopatu Ostiensis: an verò ijs abdicatis re-
 cipe-

cipere se ad Monasterium, eò quòd vitam illam actiuam sentiret spiritum suum distrahere eiusque profectum impedire. Cui Eremita: Quid prodest lucernæ si alijs luceat, & ipsa se flamma vorax absumat? quo audito, Petrus Episcopatum & Cardinalatum reliquit, & ad Monasterium rediens propriæ salutis vacauit; iniuncta nihilominus ab Alexandro Secundo Pontifice sibi centum annorum poenitentia, quæ erat vt quotidie recitando Psalmum, *Miserere*, continenter faceret disciplinam, id est, seipsum flagellaret, idque per centum annos si tot viueret. Quam poenitentiam ipse vno anno redemit, nimirum per singulos dies, toties, puta centies, disciplinam per spatiû, *Miserere*, iterando, vt in fine anni numerum prædictum exæquaret, vti ipse de se alibi scribit. Maxima fanè toti Ecclesiæ utilitas esset Solitariorum Ordinum & in eremo degentium etiamsi non aliam præstarent, quod hæctenus præ reliquis sacris ordinibus inter homines quotidie cõuersantibus in pristino suo vigore & primæua obseruãtia steterint, vbi alij magnum Religionis deliquium passi fuerunt. Quod Joannes Mauburnus Bruxellensis, & Abbas Liuriacensis Ordinis Canonicus Regul. in Roseto 1. cap. 3. de aliquibus demonstrat, vbi ait Cluniacenses à primæua sanctitate decidisse propter otium, Cistercienses propter negotia nimia ruralia, Premonstratenses ob nimia Missarum & Chori onera, Mendicantes ob nimiam cum sæcularibus familiaritatem, quia nimis se populo immiscuerunt iuxta illud Psal. 105. Commisti sunt, inter gentes & didicerunt opera eorum, & factum est illis in scandalum. Hinc Minoritæ recollecti, Domini caniani antiqui rigoris, Carmelitæ Discalceati, Augustiniani reformati; atque vtinam reliqua nouitia instituta in prima caritate, & feruore suo maneant! Benedictinos verò ait collapsos ob nimias opes iuxta illud:

filia amplæ dotationis suffocauit matrem deuotæ religionis. Addit autem præ ceteris stetisse & perseuerasse Carthusienses ob studium solitudinis & silentij ac ob strenuam obseruantiam visitationum; inde hæc tria carmine complexus ait:

Per tria, si, so, vi, Carthusia permanet in vi.

id est, per silentium, solitudinem, & visitationem perseuerat in vigore: nam quoties inter homines fui, minor homo redij, inquit alter. Quæ idcirco solum dixerim ut pateat etiam solitarios & quasi exteriùs otiosos ordines, magnum in Eccle siâ fructum proferre.

C A P. XXIX.

De S. Carolo Borromæo.

AB Oriente pedem retraho & ad Occidentem nobis magis notum festinus me conuerto.

Italiam Italiam letus conclamat Achates.

en ecce pergo, ibique magnum illum, immò maximum Carolum

(Ecce nequit magnus, Maximus ergo fiet.)

contra pestem si quis alius inuocandum Tutelarem patronum reperiam, salutabo & inuocabo. Et ô! mihi Carole salue,

Carole pestifera certa medela luis.

Illa etenim Latias quandam vitiauerat auras

Labentes rapiens populos, totasq; per vrbes

Publica pestifera cernebas funera stragis:

Qualis Erichthonios pestis populata colonos

Ad imitationem
Manilij
lib. 1.

Ex.